

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. JOSEPHO M. PINTO - Ponente

*Nullitatis matrimonii
Sententia definitiva*

(14-XII-1984)

(Omissis)

FACTI SPECIES

1) M. annorum viginti septem, et O. undevicesimum annum adepta, post sponsalitiā conversationem septem vel octo mensium, die 30 augusti a. 1975, matrimonium contraxerunt in paroeciali ecclesia vulgo dicta «N. S. de B.».

Praenuptialis conversatio parum pacifica fuerat. Suspectas enim amicas O. frequentabat, saepe vagans extra domum. Quamobrem M. qui apud familiam traditionaliter christianam adoleverat, non solum eam reprehendebat sed, accedentibus quibusdam indiciis, eo pervenit ut ab ipsa quaereret utrum corpore et spiritu virginitatem servasset, siquidem nisi ita esset eam uxorem non duceret. Asserente O., et quidem sub iuramento, se talem esse, ad nuptias convolarunt.

Accidit autem ut ipsa nuptiarum nocte M. detegeret se ab O. fuisse deceptum. Quamobrem irae raptus impetu uxorem verberavit atque e domo eicere voluit. Licet coniuges duos genuerunt filios, Ioannem nempe (die 10 augusti 1976) et Tatianam (die 2 martii 1978), coniugalis convictus rixarum plenus fuit. Solummodo post nuptias contractas M. scivit duas O. sorores

et tres amitas in concubinato vivere, atque O. ipsam amantem habuisse. De re familiari illa parum curabat et aliquando e domo exibat solos relinquens filios. Praesertim vero maritus deceptionem sibi illatam parcere numquam valebat. Nec satis quia illa quae coram genitoribus praesertim matre, rebellem puellam se demonstrabat, postea nupta immatura nimis apparebat in omnibus peragens quidquid eius familia sibi suggerebat.

Die 22 decembris a. 1979, elapsis post nuptias annis quattuor, M. uxorem cum filiis definitive reliquit hoc sic explicans: «non le ho potuto perdonare per avermi ingannato come ha fatto» (Summ., pag. 28).

2) Libello diei 21 maii a. 1980 M. a Tribunale Regionale quaesivit declarationem nullitatis matrimonii, et dubium concordatum fuit ex capitibus:

1.º) Conditionis ab actore appositae, non purificatae, ad normam can. 1092, n. 4.º;

2.º) Immatunitatis psychologicae conventae, mulieris, cui, postea, die 26 ianuarii, a. 1981, curator datus fuit.

Sententia primae instantiae, diei 21 maii a. 1981, declaravit: non con-

stare de matrimonii nullitate ex capite conditionis appositae; constare vero ex capite immaturitatis psychologicae conventae.

Appellante Vinculi Defensore ad Nationale appellationis Tribunal, sententia primae instantiae confirmata non fuit, ideo causa ad ordinarium examen alterius gradus fuit admissa (cfr. Decr. diei 25 octobris a. 1982).

Sententia autem diei 15 aprilis a. 1983 praecedentem decisionem sic reformavit: Constat de matrimonii nullitate ex capite conditionis appositae, non vero ex capite immaturitatis psychologicae conventae.

Adversus sententiam affirmativam Defensor vinculi ad Nostrum Apostolicum Tribunal provocavit, ubi causa Nostro Turno die 25-26 maii a. 1983 commissa fuit. Attento quod de conventae incapacitate standi per se in iudicio minime constaret, constitutio curatoris revocata fuit, petita deinde a conventa expressa ratihabitione omnium quae nomine ipsius curator posuerat, ut melius constaret de acceptatione tacite data.

Nos hodie causam definitive solve-
re debemus responso dato dubio die
30 martii a. 1984 sic concordato:

«An constet de matrimonii nullitate, in casu,

1.º) ob immaturitatem psychologicam mulieris conventae, vel, quatenus negative:

2.º) ob conditionem a viro appositam et non verificatam».

A.—

DE CONVENTAE PSYCHICA IMMATURITATE IN JURE

3) Bene prae oculis haberi debet immaturitatem affectivam, quae in dies magis magisque tamquam caput matrimonii nullitatis affertur; intellegendam esse sensu iuridico, quo iure canonico recepta est, non vero psychiatrico.

Ratio est quia praefata nullitas est legis effectus qui locum habet ubi eiusdem requisita verificantur. Dum conceptus psychiatricus, qui gradus admittit ad alios scopos ordinatur. Quamobrem, non qualibet psychica immaturitas matrimonii nullitatem gignit, sed ea tantummodo in qua defectus discretionis iudicii, de quo in can. 1095, 2.º C.I.C./a. 1983, verificetur. Cfr. G. VERSALDI, *Elementa psychologica matrimonialis consensus*, in *Periodica*, 1982, pagg. 183-187; M. F. POMPEDDA, *Maturità psichica e matrimonio*, in *Apollinaris*, a. 1984, pagg. 131 ss.

Praeterea, dum quaedam leges hodiernae, ad definiendam iuridicam incapacitatem agendi, v. gr. pro valido matrimonio contrahendo, methodo mere psychiatrica utuntur, legislator ecclesiasticus mixtam methodum, nempe psychologicam simul et psychiatricam applicat. In casu methodi psychiatrici seu clinici, siquidem lex statuit personas omnes determinato morbo mentali affectas incapaces esse v. gr. validi matrimonii contrahendi, infirmitate comprobata, iudex concludit actum iuridicum nullum fuisse quin directe videat de mentis discretionem et voluntatis auto-determinationis defectum. Aliter omnino proceditur iuxta methodum psychologicam simul et psychiatricam. Tunc norma iuridica statuit invalidum esse actum positum sine sufficienti mentis deliberatione ac libertate. Consequenter iudex comprobato hoc defectu, examinatis, hinc ad aspectum psychologico decisionalis processus, illinc nupturientis psychopathologica conditione, huic momentum iuridicum tribuit tanquam causae defectus discretionis a lege requisitae et, consequenter, nullitatis matrimonii. Cfr. G. Michiels, *Principia generalia de personis in Ecclesia*, a. 1955, pagg. 73-74.

Ideo, his in casibus formula ad dubium concordandum videtur esse, v. gr.: «An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob defectum discretionis de qua in can. 1095, 2.º, propter immaturitatem affectivam X».

4) Canon 1095 novi Codicis, doctrinam et iurisprudentiam praevalentes recipiens, statuit incapaces validi matrimonialis consensus praestandi esse, non solum «qui sufficienti rationis usu carent» (n. 1.^o), sed etiam qui «gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia essentialia mutuo tradenda et acceptanda» laborant (n. 2.^o).

Formula elaborata a Coetu studiorum de Matrimonio in conventu diei 12 mai a. 1970 (cfr. *Communicationes*, a. 1975, pag. 49), invenitur adhuc in Schemate novissimo, Typis polyglottis vaticanis, a. 1982, pag. 195, canon 1095, 2.^o). In C.I.C. promulgato additum fuit verbum «essentialia». Prae oculis habitis Consultorum discussionibus (cfr. *Communicationes*, a. 1975, pagg. 46-49 et a. 1977, pagg. 369-370), quae manifestant illorum studium ius naturae apte experimendi accurate vitato abusu incertae formulae, sequentia asserimus:

a) Iudici discretio, quae distinguitur ab ignorantia de qua in can. 1096, spectat ad iudicium pratico-practicum circa matrimonium hic et nunc contrahendum, sine quo actus voluntatis, de quo in can. 1057 elici nequit. Cfr. P. SŁWEK, *Psychologia Metaphysica*, 1965, pagg. 458-461.

b) Praefati iudicii obiectum sunt essentialia iura et officia matrimonialia, nempe quae constituunt bona prolis, fidei et coniugum perpetuo assumenda. Cfr. cann. 1055, § 1, 1056 et 1101, § 2. Siquidem iure naturae possunt contrahere matrimonium omnes qui iure non prohibentur (can. 1058), discretio iudicii requisita ad validum consensum ad essentialia limitatur, quippe quod tunc matrimonium est appetitum seu volitum, saltem quoad substantiam.

c) Iudicii discretio iure requisita praesupponit, praeter usum rationis necessarium ad scientiam habendam de qua in can. 1096, capacitatem aestimandi et ponderandi valorem seu momentum quod matrimonii essentialia onera habent tam in se ipsis quam pro nuptu-

riente, sub respectibus ethico, sociali, iuridico aliisque substantialibus.

Cfr. S. Romanae Rotae Decisiones: coram Wynen, diei februarii a. 1941, nn. 4-12, pagg. 146 ss. et coram Canestri, diei 16 iulii a. 1943, nn. 7-12, pagg. 598 ss.; G. M. FAZZARI, *Valutazione etica e consenso matrimoniale*, 1951, pagg. 74 ss.; P. HUIZING, in *Theologia Moralis* auctore A. VAN KOL, a. 1968, tom. II, n. 597.

d) Huiusmodi aestimandi capacitas exigit illum facultatum cognoscitivarum et appetitivarum evolutionis gradum ad quam normalis persona pervenit, pubertate saltem adepta. Huc venire videntur quae S. Thomas docuit, imprimis, de vi cogitativa, pro appetendis quae nocent, agentibus, ex una parte facultate sensitiva et, ex altera, intellectiva quae comparat. Cfr. I, Q. 78, a. 4, c.; Q. 18, a. 3, c.; I-II, Q. 30, a. 3, c. et ad 3. um. Quoad aetatem huius discretionis, cfr. Suppl., Q. 58, a. 5. Sed accedere debet quaedam vitae experientia.

e) Cum matrimonium sit naturale, quatenus ad illud ipsa «natura inclinatur, sed mediante libero arbitrio completur» (Suppl., Q. 41, a. 1, c.) In libera decisione nupturientis normalis sequentia elementa interveniunt: 1.^o) elementum physicum sexualitatis quo vir et mulier mutuo tendunt ad binorum complexum efformandum; cui accedunt ad humanam unionem perficiendam;

2.^o) elementum affectivum sensibile;

3.^o) elementum spirituale intellectivo-volitivum, quo, post sufficientem deliberationem, intellectus nuptiarum celebrationem consiliat, illasque voluntas celebrandas decernit idque executioni mandat essentialia iura tradens atque acceptans.

Horum elementorum perturbatio, habitualis vel actualis, quae deliberationem vel liberam decisionem in praestando matrimoniali consensu graviter

impediant, matrimonium invalidum reddit ob defectum discretionis iudicii.

5) Immaturitas affectiva, a psychiatria hodie communiter admissa, verificatur cum, in adolescentia, psychoaffectiva evolutio vel sistit («fissazione») vel ad phases praecedentes regreditur («regressione»), intellegentia incolumi.

«*L'arriéré affectif* est un individu normalement intelligent, parfois même très intelligent, mais dont l'évolution affective, c'est-à-dire la maturation des instincts, sentiments et émotions, est restée plus ou moins incomplète». Demonstrat hic «un fort égocentrisme avec *possessivité* des sentiments; le sujet n'étant pas parvenu au stade de l'altruisme, del'«oblativité», qui caractérise l'amour des sujets adultes normaux». «La notion d'arriération affective est admise aujourd'hui par tous les psychiatres» (A. HESNARD, *Arriération affective*, in *Manuel Alphabétique de psychiatrie*, 1975, auctore A. POROT, pagg. 74-75).

Sic dictae «fissazione» et «regressione» sunt processus psychici inconscii. In illa, «l'interesse affectivo che unisce il soggetto ad un oggetto o ad una persona, si trasforma in un legame rigido e atrofico, e rimane tale senza evolversi, sicchè l'individuo permane infantilmente 'fissato' a qualche oggetto o a qualche persona»; in «regressione» verificatur «(il) ritorno ad una fase di sviluppo un tempo superata e quindi a modalità di soddisfazioni istintuali di tipo infantile ed a organizzazioni primitive dell' Io» (G. DACQUINO, *Religiosità e psicoanalisi*, 1980, pag.) (sic.!).

Infirmi plures affectivam immaturitatem ostendunt: «les névrosés, les déséquilibrés, les caractériels, les personnalités psychopathiques, les mythomanes, les pervers, etc.». In sensu clinico sumenda est (P. BERNARD, *Le développement de la personnalité*, a. 1973, pag. 76).

Nihil mirum igitur quod de immaturitate affectiva loquatur in pertur-

batione personalitatis sic dicta «disturbo antisociale di personalità».

6) In «*Diagnostic and statistical manual of mental disorders*» Societatis Psychiatricae Americanae (APA, DSM-III, a. 1980), antisocialis personalitatis perturbatio breviter sic describitur: ipsius «caratteristica essenziale» constituitur ex «una storia di continui e cronici comportamenti antisociali, nei quali i diritti degli altri vengono violati» cui accedit «il fallimento nel mantenere una buona performance lavorativa per un periodo di alcuni anni», quod haud facile apparet v. gr. in «studenti o casalinghe», quin agatur de «grave ritardo mentale», aut «schizofrenia» aut «episodi maniacali».

Perturbatio ante 15 annum incipit: «mentire, rubare, fare a botte, non andare a scuola e resistere alle autorità sono tipici segni della prima fanciullezza. Nell'adolescenza di solito sono frequenti comportamenti di tipo sessuale insolitamente precoci o aggressivi, il bere eccessivo e l'uso di sostanze non consentite. Nella età adulta, questi tipi di comportamento continuano, con l'aggiunta dell'incapacità di mantenere performance lavorative costanti e di funzionare come genitori responsabili, e dell'incapacità di accettare le norme sociali concernenti i comportamenti legali. Dopo i 30 anni gli aspetti più evidenti possono diminuire, particolarmente in ciò che concerne la promiscuità sessuale, il fare a botte, la criminalità e il vagabondaggio».

«Il disturbo è spesso estremamente incapacitante, e risulta nell'impossibilità di diventare un adulto indipendente, capace di mantenersi da sé, ed in molti anni di istituzionalizzazione, più comunemente penale che medica» (Versio ital., pagg. 348-349).

7) Huiusmodi aggreddens antisocialis criminalisque structura consideratur «comme un *accident évolutif* du *développement de la conscience morale dans la formation du caractère*».

Siquidem indoles seu «character» non recipitur sed construitur, mediante «l'intégration des tendances basales et de toutes les infrastructures de la personnalité en un système personnel et stable qui réalise l'équilibre et l'autonomie des réactions de l'individu», «characteris» constructio supponit «dans son évolution normale le passage d'un automatisme pulsionnel archaïque à une organisation volontaire du Moi». «Le contrôle éthique n'est donc nullement à l'origine un instinct», provenit «de l'élaboration et de l'intégration des comportements primitifs. A un niveau d'intégration inférieure, les interdictions d'origine externe deviennent internes (mécanisme de l'intjection). L'enfant n'a plus besoin qu'on lui interdise un geste, il se l'interdit automatiquement» (culpabilité archaïque, pré-morale, le *Sur-Moi*). «La conduite morale adulte ne peut apparaître qu'à un niveau supérieur d'intégration comme une adaptation du comportement à la vie sociale par la formation caractérielle d'une éthique personnelle», quod implicat «des attitudes rationnelles, une réussite affective (tolérance des frustrations inévitables, acceptation des limites de la recherche du plaisir)», exclusa «la fausse culpabilité des phantasmes primitifs». Supponit «une éducation réussie», adventum ad responsabilitatem, nempe «l'acceptation des conséquences de tous les actes» (H. EY - P. BERNARD - CH. BRISSET, *Manuel de psychiatrie*, 1970, pag. 371).

In hoc processu evolutivo accidere possunt anomaliae «nettement pathologiques». Il s'agit alors d'une malformation, d'une dysgénésie qui ne permet pas de se dégager des premières expériences d'interdiction et les rejette en bloc». Est casus personalitatis antisocialis, «un pervers amoral constitutionnel», «une sorte de monstre sans foi ni loi, inintimidable par la punition et récidiviste fatal». Qui nullatenus confundi potest cum illis quorum «le comportement antisocial est volontairement subversif, résultant

d'un choix délibéré et lucide» (Ibidem).

8) Attento quod, ad capacitatem validum matrimoniale consensum praestandi requiritur «la maturità e la normalità di collegamenti psichici che permettano la spontanea trasformazione della conoscenza del matrimonio in valutazione razionale, almeno confusa e implicita, di tutti i suoi lati sostanziali, particolarmente di quello etico» (G. M. FAZZARI, Op. cit., pag. 77). «Ille, qui laborat immoralitate seu potius amoralitate constitutionali, inhabilis est tum ad consensum praestandum tum ad disponendum de obiecto consensus. Huiusmodi itaque defectus constituit et defectum consensus et impedimentum dirimens» (P. HUIZING, Op. cit., pag. 598, nota 12). Inter recentes decisiones Apostolici Tribunalis Romanae Rotae, quoad personalitatem antisocialem, videri possunt, v.gr.: coram Egan, diei 25 ianuarii 1979 (*Studia canonica*, 1980, pagg. 195 ss.); coram Pinto, diei 20 aprilis 1979 (*Monitor Ecclesiasticus*, a. 1979, pagg. 383 ss.) et diei 27 maii 1983; coram Stankiewicz, diei 26 martii 1981 (*Il Diritto Ecclesiastico*, 1981, II, pagg. 465 ss.); — quoad immaturitatem affectivam: coram Lefebvre, diei 31 ianuarii 1976 (*Ephemerides I. C.*, 1976, pagg. 285 ss.); — coram Palazzini, diei 25 ianuarii 1977 (*Ephemerides I. C.*, 1978, pagg. 145 ss.); — coram Fiore, diei 23 februarii 1980 (*Monitor Ecclesiasticus*, 1980, pagg. 401 ss.); — coram Ewers, diei 4 aprilis 1981 (*Il Diritto Ecclesiastico*, 1981/II, pagg. 456 ss.); — coram Serrano, diei 12 novembris 1982 (*Ibid.*, 1983/II, pagg. 3 ss.); — coram Masala, diei 20 aprilis 1982 (*Ibid.*, pagg. 16 ss.); coram Agustoni, diei 5 iulii 1983.

IN FACTO

9) Sententia primae instantiae matrimonii nullitatem declaravit «per immaturità psicologica della contraente, ob eiusdem «deviazione psicopatica».

Ad hanc conclusionem pervenit, ob motiva haec:

a) «L'ambiente familiare in cui crebbe O.»: «una famiglia sboccata, brusca, grottesca, di cattiva reputazione nel vicinato, in disaccordo, carente, da parte di alcuni suoi membri e parenti vicini, di principi morali di condotta» (Summ., pag. 101);

b) Conventa, iuxta testes: «era ribelle, litigiosa, senza rispetto verso autorità alcuna, di bocca oscena, una ladra, perversa fino a godere nel far male agli altri». Contractis nuptiis, marito vitam «invivibile» reddidit, «per il suo cattivo comportamento come madre e come moglie, giacchè se ne andava in giro per la strada, trascurava i suoi obblighi e dava motivo per dubitare della sua fedeltà coniugale. In una parola era una persona priva di principi morali, senza stabilità affettiva, senza aggiustamento emozionale per il matrimonio» (Ibid., pagg. 101-102).

c) Periti ex officio, psychologi O. L. et G. G., examinatis, non conventa, sed actis, concluderunt: invenitur in conventa «un disordine di personalita», nuncupato, «nella classifica di Starke R. Hataway... deviazione psicopatologica (Minnesota, 1968)», qui consistit in «una affectività immatura, dimostrata dalla sua impulsività primaria, fedele riflesso di un ego debole, incapace di controllare gli impulsi aggressivi provenienti da questo». Matrimonii tempore «non arrivava a valutare le implicazioni del matrimonio». Quamobrem «supponiamo che ... tale disordine abbia inciso sulla validità del contratto matrimoniale» (Summ., pagg. 68-77).

10) At quominus matrimonii nullitas ex hoc capite admittatur sequentia obstant:

1.º) Admisso quod «l'assenza di disciplina genitoriale apparentemente aumenta la verosomiglianza che un disturbo della condotta si sviluppi in un disturbo antisociale di personalità» (DSM - III cit., p. 349), hoc minime suf-

ficit ad talem personalitatem praesumendam.

2.º) Verba adducta ex testibus passim in depositionibus apparent, quin tamen facta adducantur, ad antisocialem agendi rationem comprobendam. Nullus testis refert crimen, ob quod conventa in carcerem detrusa fuerit. Quodsi actor deposuit: «durante la convivenza ci trattavamo molto male», «O. non fu mai una persona responsabile, nè consacrata alla famiglia, posto che perfino quando i bambini erano malati se ne andava in giro e li lasciava abbandonati. Non si preoccupava di prepararmi i vestiti» (pagg. 25-26), ipse fassus est se, post tres annos cum dimidio, definitive familiam dereliquisse «per il motivo che non le ho mai potuto perdonare per avermi ingannato» relate ad ipsius virginitatem (pagg. 27-28). Admittit pariter: «ci sono due figli che hanno approssimativamente tre o due anni e che hanno vissuto sempre con lei, mentre io provvedo al loro mantenimento» (pagg. 5-6).

3.º) Consequenter peritorum votum admittere non possumus.

In actis haudprehenduntur facta vi quorum affirmari possit conventam esse personalitatem antisocialem, prout supra in n. 6 descripta fuit.

Concordamus igitur cum sententia secundi gradus excludentes matrimonii nullitatem ex hoc capite.

B.—

DE CONDITIONE A VIRO APPOSITA ET NON VERIFICATA IN IURE

11) Siquidem in sermone communi vocabulum «conditio» sensu improprio saepe usurpatur, cum de nullitate matrimonii ob appositam conditionem virginitatis partes et testes loquuntur, imprimis constabiliri debet utrum in sensu verae conditionis de praesenti vel simplicis praesuppositi seu postulati

vocabulum sumant. In utroque casu matrimonii celebratio a virginitate pendet quia, nisi mulier se virginem esse affirmet, vir eam non ducit. Differunt tamen quatenus, in conditione, virginitati consensus subordinatur ita ut consensum praestet si revera virgo est; aliter non. Quod in altero casu non verificatur. Licet enim tam conditio quam praesuppositum virginitatis magnam aestimationem supponant, in primo casu virginitas matrimonio ita praevallet, ut consensus denegetur ubi virgo non sit, quod non praevideatur in altero casu. Solummodo igitur vera virginitatis conditio, semel apposita et non revocata, quae verificata non fuerit, matrimonium iure naturae invalidum reddit (cfr. cann. 1092, 4.^o C.I.C./a. 1917 et can. 1102 C.I.C./a. 1983, § 2).

12) Quia contrahentem «latere non potuit consensus ab eo praestitus vel minus» (D. STAFFA, *De conditione contra matrimonii substantiam*, 1955, p. 41), prius Rotalis iurisprudencia veram conditionem admittebat cum vir, detecto virginitatis defectu, nulla vel minima mora interposita, mulierem ad paternam domum mittebat (coram Massimi, diei 30 novembris 1928), vel licet cum illa cohabitaret ad vitandum scandalum, a matrimonio consummando abstineret, maritali affectu semper negato (coram eodem Ponente, diei 12 ianuarii 1933). Veram conditionem e contra negabat ubi, quamvis a prima nocte deceptionem protestans, uxorem a se statim non abiecit et pluries cum eadem coivit, esto rogante illa (coram Graziosi, diei 16 iulii 1930).

At postea, attento quod aliud est conscius esse de consensu denegato, aliud vero ignorare iuridicum effectum denegati consensus, nempe matrimonii nullitatem, conditionem adhuc admissit cum vir, licet certus de matrimonio a se nullatenus volito, tamquam coniugatus per aliquos annos egit quia falso putabat se ad id teneri (coram Felici, diei 26 iulii 1951; coram Sabattani, diei 24 maii 1963).

13) *Conditio potestativa, cuius purificatio a libera contrahentis voluntate pendet, no potest esse de futuro suspensiva quae per totam vitam matrimonii validitatem incertam relinquat.* Quaedam decisiones Rotaes eam considerant de praesenti, relate ad sinceram promissionem, non vero includentem futuram praestationem (v. gr. coram De Jorio, diei 6 maii 1970); aliae eam habent de futuro suspensiva ad tempus, nisi sit modus (coram Parrillo, diei 25 iulii 1931); et tandem aliae, tamquam de futuro resolutiva contra bonum sacramenti (coram Sabattani, diei 15 ianuarii 1965). His ob oculos habitis, perscrutanda est nupturientis apponentis intentio. Cfr. decisio coram Pinto, diei 12 octobris 1984.

IN FACTO

14) Se duas conditiones pro matrimonio contrahendo conventae apposuisse actor coram iudice affirmavit: 1.am «Che fosse vergine»; 2.am «Che si impegnasse a non andare in giro per la strada e a non frequentare determinate amiche» (Summ., pag. 23). Si actor suum consensum his circumstantiis subordinavit, prima esset conditio de praesenti (in casu, haud verificanda de conventae asserto minime dubitans), altera vero esset potestativa, tamquam de praesenti interpretanda, prae oculis habitis adiunctis casus. Probabilius vero, huic circumstantiae M. consensum non subordinavit, quamobrem, non de vera conditione sed de modo ageretur.

15) Actorem sibi «varie condizioni» apposuisse pro ea ducenda conventa admittit: «Queste condizioni erano 'che io fossi signorina'»; «Che non gli piaceva che io andassi molto in giro per la strada ed anche che dovevo andare a vivere in casa della madre di lui». Quoad primam, addit se M. respondisse «che ero signorina», censens hoc significare «avere il periodo mestruale», ignorans autem conditionem non verificari habitis «rapporti sessuali

con un altro uomo, come in realtà io avevo avuto». Quoad alteram conditionem, declarat: «Accettai anche di non uscire e di andare a vivere con la suocera» (Ibid., pag. 50).

Quia suum 18 annuum conventa superaverat et quia omnes testes locutionem «essere signorina» interpretati sunt in sensu virginitatis non amissae, explicatio a O. data credibilis non est.

16) De conditione virginitatis a M. apposita et non verificata notitiam habuerunt actoris testes, nempe eius frater Aloisius Asdrubal, nuptiarum ipsa nocte (Ibid., pag. 35), John Iairus (pag. 40), Ovidius a Iesu (pag. 45) paulo post nuptias; necnon Sonia, conventae testis, elapso circiter anno a celebratione matrimonii (p. 62).

17) Conditionem virginitatis de qua partes et testes loquuntur sumendam esse in sensu verae conditionis, cui consensus praestatio subordinabatur, colligitur ex his:

1.º Comperto ab actore, cum matrimonium nocte nuptiarum consummavit, O. virginem non esse, ait ipse: «Le diedi una bella legnata. L'unica cosa che O. rispose fue che lei non se ne sarebbe andata di casa, giacchè io, proprio per non averla trovata vergine, l'avevo cacciata da casa» (pag. 23). Actorem eam e domo eiecisse admittit conventa, adiungens tamen: «M. mi disse che mi perdonava e che avrei seguito a vivere con lui in matrimonio normalmente. «Però non mi menò... Dopo molto tempo comincio a rinfacciarmelo ed a redermi dura la vita... mi diceva che 'questo' (di non avermi trovato vergine) non me lo perdonava» (pagg. 50-51). Sed Asdrubal qui praesens fuerat et John Iairus conventae contradicunt, quae, ut visum est, est parum credibilis.

2.º Tertio vel quarto mense post matrimonium actor «andò a reclamare con la madre di lei ed io lo sentii... quando M. diceva a questa signora che O. non era signorina quando avevano

consumato il matrimonio» (Marianus, pag. 57). Cfr. actor, pagg. 24-25.

3.º Cum actore et Ovidio et Sonia concordat testis John Iairus dicens: «M. non perdonò ad O. di non averla trovata vergine e per questo quasi tutti i giorni sorgevano problemi tra questi sposi» (pag. 40).

4.º Actor sic explicat cur domum coniugalem reliquerit: «Le liti continuarono perchè io seguivo a sentirmi ossessionato dell'inganno di cui ero stato vittima, che non le perdonò nè le perdonerò. Le cose arrivarono ad un punto tale che i bambini quando mi vedevano arrivare a casa correvano a nascondersi perchè avevano paura di me. Fu allora che decisi di andarmene definitivamente da casa» (pag. 26).

Facta hic recensita, ad tempus totius convictus coniugalis protracta, indicant actorem matrimonium cum non virgine, quod sciens numquam contraxisset, iam contractum numquam acceptasse quippe quod pro illo non praestitisset consensum, quod ipsum numquam latuit.

18) Non obstat quod cum conventa per annos quattuor cohabitasset, ex eadem genuens, prius Ioannem (natum die 10 augusti 1976), et deinde Tatianam (natam die 2 martii 1978), nam hoc explicatur ex ignorantia effectuum iuridicorum defectus consensus (cfr. supra, n. 12). Actor animadvertit: «Continuai a vivere con lei perchè non sapevo che la Curia poteva annullare un matrimonio, se lo avessi saputo, avrei domandato la nullità del matrimonio due giorni dopo» (Ibid., pag. 25).

Praeterea, conventa admittit, elapsis duobus annis, «mi portò da mia madre e mi lasciò lì per otto mesi, senza però convivere con lui» (Ibid., pag. 51).

Quae omnia nos ducunt ad admittendam matrimonii nullitatem ex capite conditionis virginitatis appositae et non verificate, cum sententia Tribunalis Nationalis appellationis concordantes.

19) Quibus omnibus tam in iure quam in facto perpensis, Nos Auditores de Turno solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, definitive sententiamus propositis dubiis sic respondententes:

Ad primum: Negative, seu non constare de matrimonii nullitate ob immaturitatem psychologiam mulieris conventae;

Ad secundum: Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu, ob conditionem a viro appositam et non verificatam.

Romae, in sede Tribunalis Pontificii

Ita pronuntiamus, et locorum Ordinariis et Tribunalium administris com-

mittimus ut hanc Nostram definitivam sententiam notificent omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Romae, in sede Tribunalis Pontificii Romanae Rotae, die 14 decembris 1984.

Iosephus M. Pinto, Ponens
Sebastianus Māsala
Angelus Di Felice
Aegidius Turnaturi, Not.

Haec sententia, cum sit alterius sententiae confirmatoria, fit executiva (can. 1684, § 1).

Ideo ius est partibus, sententiae notificatione accepta, novas contrahendi nuptias, nisi aliud obstet canonicum impedimentum (can. 1684, § 1).

Ex Cancellaria Tribunalis Pontificii Romanae Rotae, die

Aegidius Turnaturi, Not.